

bene recteque instituitur, postremo, ut fructus, inde redundantes, ad debitum adhibentur usum. Quocirca tribus etiam Sectionibus absoluemus tractationem, qua praeipuas *Prudentiae Apodemicae* regulas (*ἀκροάματα ἀποδημικά*) complectemur. Prima regulas, ante peregrinationem observandas, (*ἀκροάματα κατασκευαστικά*) continebit. Altera regulas, in peregrinatione observandas, (*ἀκροάματα εἰσαγωγικά*) exponet. Tertia regulas, post peregrinationem observandas, (*ἀκροάματα ἀποτελεσματικά*) suppeditabit.

SECTIO. I.

DE

PRUDENTIAE APODEMICAE REGVLIS, ANTE PEREGRINATIONEM OBSERVANDIS.

REGVLA. I.

Firmiter statuat peregrinaturus, non, nisi bene preparato, aut instructo, eam obtingere utilitatem, quam peregrinatio afferre possit.

EXPOSITIO.

Quin peregrinatio, rite prudenterque instituta, maximas habeat utilitates, nemini, quod puto, dubium videri potest. Ea quippe est, qua hominum ingenia excitari, mores expoliri, studia perfici possunt. Ea comparandae rerum plurimarum experientiae, inveniendis augendisue artibus ac scientiis, iungendis amicitiiis et commerciis inseruit. Ea denique Principibus summif-
que